



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum liceat adiurare dæmones? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

tionem. Non autem hanc necessitatem potest alijs imponere, nisi subditis, quos potest ex debito præfitti iuramenti compellere. Si ergo aliquis per inuocationem diuini nominis, vel cuiuscumque rei sacræ alicui non sibi subdito, adiurando, necessitatem agendi aliquid imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi iurando: talis adiuratio illicita est, quia usurpat potestatem in alium quam non habet. Tamen propter aliquam necessitatem superiores, suos inferiores tali genere adiurationis constringere possunt. Si verò intendat solummodo per reuerentiam diuini nominis, vel alicuius rei sacræ, aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione: talis adiuratio licita est respectu quorumlibet.

Ad primum ergo dicendum, quòd Origenes loquitur de adiuratione qua aliquis alicui necessitatem imponere intendit, sicut imponit sibi ipsi, iurando. Sic enim princeps sacerdotum præsumpsit Dominum Iesum Christum adiurare.

Ad secundum dicendum, quòd illa ratio procedit de adiuratione que necessitatem imponit.

Ad tertium dicendum, quòd adiurare non est aliquid ad iurandum inducere, sed per quandam similitudinem iuramenti à se inducti, alium ad aliquid agendum prouocare. Aliter tamen adiuratione vimur ad hominem, & aliter ad Deum. Nam adiurando hominē eius voluntatem per reuerentiam rei sacræ immutare intendimus: quod quidem non intendimus circa Iesum, cuius voluntas est immutabilis. Sed quòd à Deo per æternam eius voluntatem aliquid obtineamus, non est ex meritis nostris, sed ex eius bonitate.

493

Ho. ult. 7
Matt super
per illud
Ad iuro
re, di no
bis si tu
es Chri
stus 1. 3.

ARTIC. II.

Vtrum liceat dæmones adiurare?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat dæmones adiurare. Dicit enim * Origenes super Matth. Non est secundum potestatem datam à saluatore adiurare dæmonia: iudaicum enim est hoc. Non autem debemus iudæorum ritus imitari, sed

sed potius vti potestate à Christo data. Ergo non est licitum dæmones adiurare.

¶ 2 Præterea, Multi necromanticis incantationibus dæmones inuocant per aliquid diuinum: quod est adiurare. Si ergo licitum est dæmones adiurare, licitum est necromanticis incantationibus vti. Quod patet esse falsum. Ergo & primum.

¶ 3 Præterea, Quicumque adiurat aliquem, ex hoc ipso aliquam societatem cum ipso facit. Sed non licet cum dæmonibus societatem facere, secundum illud 1. Cor. 10. Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Ergo non licet dæmones adiurare,

SED contra est, quòd dicitur Marc. vlt. In nomine meo dæmonia eiicient. Sed inducere alium ad aliquid agendum propter nomen diuinum, hoc est adiurare. Ergo licitum est dæmones adiurare.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut * dictum est, duplex est adiurandi modus. Vnus quidem per modum deprecationis, vel inductionis ob reuerentiam alicuius sacri. Alius autem per modum compulsionis. Primo autem modo non licet dæmones adiurare: quia ille modus adiurandi videtur ad quamdam benevolentiam vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones vti. Secundo autem adiurationis modo, qui est per compulsionem, licet nobis ad aliquid vti, & ad aliquid non licet. Dæmones enim in cursu huius vitæ nobis aduersarij constituuntur. Non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed dispositioni diuinæ & sanctorum angelorum: quia vt * Augustinus dicit in 7. de Trinitate, Spiritus defertor regitur per spiritum iustum. Possumus ergo dæmones adiurando per virtutem diuini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter, secundum potestatem diuinam datam à Christo: secundum illud Lucæ decimo, Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Non tamen licitum est eos adiurare ad aliquid

art. præc.

c. 4. ante
med 10. 3

ab

ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi forte ex speciali instinctu, vel reuelatione diuina, aliqui sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione vtantur: sicut legitur de beato Iacobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod Origenes loquitur de adiuratione, quæ non fit protestatiuè per modum compulsionis, sed magis per modum cuiusdam beneuolæ deprecationis.

¶ Ad secundum dicendum, quod necromantici vtuntur adiurationibus & inuocationibus dæmonum ad aliquid ab eis addiscendum vel adipiscendum. Et hoc est illicitum, vt * dictum est. Vnde † Chryostomus dicit Marc. primo, exponens illud verbum Domini quod spiritui immundo dixit, Obmutescet & exi ab homine: Salutiferum hic nobis dogma datur, ne credamus dæmonibus quantumcumque denuntient veritatem.

¶ Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de adiuratione, qua imploratur auxilium dæmonum ad aliquid agendum vel cognoscendum: hoc enim videtur ad quamdam societatem pertinere. Sed quod aliquis adiurando dæmones repellat, hoc est ab eorum societate recedere.

ARTIC. III.

Vtrum liceat irrationalem creaturam adiuuare?

494

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non liceat adiuuare irrationalem creaturam. Adiuratio enim fit per locutionem. Sed frustra sermo dirigitur ad eum qui non intelligit, qualis est irrationalis creatura. Ergo vanum est & illicitum irrationalem creaturam adiuuare.

¶ 2 Præterea, Ad eum videtur competere adiuratio, ad quem pertinet iuratio. Sed iuratio non pertinet ad creaturam irrationalem. Ergo videtur quod ad eam non liceat adiuratione vti.

¶ 3 Præ-

*in corpore art.
† in eccl. 2.
de Lazaro, inter
princ. &
med. fo. 2*